

Dissertatio medica inauguralis, de phthisi pulmonali ... / [Thomas Shadwell].

Contributors

Shadwell, Thomas.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1779.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hum2w29d>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

12

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PHTHISI PULMONALI.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORATUS.

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS SHADWELL,
HIBERNUS,

Soc. Phys.-Chir. Edin. Soc. Honor.

Cui comes est macies, cum lenta febre, feroque

Ulcere pulmonis, genus insuperabile morbi.

FRANC. PORT.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXIX.

THE UNIVERSITY OF MEDICINE

AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

THE HOSPITAL FOR THE CURABLE

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

AND THE HOSPITAL FOR THE CURABLE

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

OF THE CITY OF NEW YORK

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

OF THE CITY OF NEW YORK

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

OF THE CITY OF NEW YORK

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

OF THE CITY OF NEW YORK

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

OF THE CITY OF NEW YORK

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

OF THE CITY OF NEW YORK

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

OF THE CITY OF NEW YORK

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

OF THE CITY OF NEW YORK

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

OF THE CITY OF NEW YORK

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

OF THE CITY OF NEW YORK

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

OF THE CITY OF NEW YORK

DEPARTMENT OF PSYCHIATRY

OF THE CITY OF NEW YORK

Reverendissimo Patri in Domino,

J E M M E T O,

Divina Providentia,

Archiepiscopo Tuamensi,

De Connaught Primati, et Ardahensi Episcopo,

Qui, in munere sacro fungendo,

Sine ostentatione pius,

Morum integritate, ecclesiam ornat ;

Nec non,

JOSEPHO LEDBETTER, M. D.

De Bandon,

In comitatu Corkagenfi,

Viro, non minus doctrina quam comitate,

Insigni,

Qui in se multa amicitiae monumenta contulit,

Et animum, adhuc tenerum, monitis purissimis imbuit ;

Opusculum hocce,

Observantiae suae testimonium,

Offert

A U C T O R.

Dr Haskey from, his
 Friend
 The Author

CORRIGENDA.

Pag. 7. lin. 21. *pro* morem) exitialem, lege morem.
 exitialem)

Pag. 9. lin. 20. *pro* hoc et modo lege et in hoc modo

10.	7.	culpa	culpae
11.	15.	possunt	posse
22.	10.	orire	oriri
27.	7.	at	ut
idem	11.	obstinuisset	abstinuisset
33.	4.	phthificis	phthifeos
37.	5.	periculi	pericula
Ibid.	16.	offeruntur	efferuntur

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

NULLUS morbus, quo unquam corpus humanum laborat, majorem, quam phthisis, a nobis attentionem meretur. Hisce enim regionibus frequenter apud populos, prae aliis, grassatur, et dirastrage eos, propter pulchritudinem, ingenuitatem, et mentis dotes insignes, praecipue infestat. Multae computationes, diversis temporibus institutae, effectus hujus morbi lethiferos clare evincunt; namque, anni tempore, incolarum hujus insulae 25000 e medio tollere fertur. Natura ejus maligna,

A †

curatio

curatio difficilis, et frequens aggressio, nos ad eam investigandam, et impetum refracnandum, excitarent. In hoc tentamine, opinioniones et doctrinas aliorum enumeravimus, et ex auctoribus optimis observationes, quae nixibus et investigationibus futuris campum praebeant, excerpimus. Nunc vero ut rem ipsam aggrediamur.

HISTORIA MORBI.

Tempore vernali, et autumnii finem verus, maxime exitialem existere phthisin plerumque invenitur. Homines etiam, ab vitae anno decimo sexto ad tricesimum usque sextum, huic morbo praecipue obnoxii. Tussi sicca, haemoptysi saepe vero comitante, in universum inchoat. Spirandi difficultas adversus clavum ascensu, aut corporis exercitatione violenta multum exacerbata, adjungitur. Depressionis circa praecordia perceptio, et systematis nervosi irritabilitas

tabilitas magna sese manifestant. Per aliquod temporis, symptomatis his adhuc durantibus, dolor vehemens, fixus, cum tussi, et in latus affectum decumbendo auctus, cibi inappetentia, ore sapor falsus, per saepe vomitus, et sexu foemineo menses suppressi, sequuntur. Nunc febris hectica aggreditur, incrementum bis indies patitur, unum meridiem circiter, alterum post prioris finem, et gradatim ad horam secundam ingravescens; mane sudore per caput, collum, et pectus erumpente, et tandem ad caeteras corporis partes propagato, in ultimum levatur aegrotus. Sedimentum aequo grandius urina deponit, et per totum morbi cursum color rubicundior invenitur. Pulsus frequens est et parvus; ante hecticam vero, plerumque regularis evadit. Genae rubore circumscripto, praesertim post cibum sumptum, gaudent; aliae faciei partes eodem tempore pallidae, somnus turbatur, pedum plantae et manuum volae, post exacerbationem matutinam, caloris sensu multum afficiuntur. Hujus febris incrementum

mentum capitis dolore, delirio, vel mentis virium vitio, raro neſtitur; multum vero tabeſcit aeger; excreatio, primo morbi ſtadio, ſi ulla, parva tantum eſt, ſanguine ſaepe tinſta, guſtui aliquando falſa vel adipi ſimilis, purulenta et odore foetida, libere et copioſe pulmonibus eliminata, reſpirationi magnum levamen affert. Oculorum tunica conjunctiva tranſparens fit, vaſa omnino conſpectu latent. Lingua munda et rubra apparet; omnia alia ſymptomata nunc in pejora ruunt. Fati vero impendentis nec conſcius nec timidus ille patiens videtur. Febris conſtantior et acerbior evadit; corpus conſumunt fudores liquefacientes. Partes ſuperiores caloris violenti ſenſu tentantur, et verſus auroram, nocte ſudoribus profuſis peracta, angore et inquietudine laborat. Nunc materia pulmonibus expulſa tam foedam et acrem induit naturam, ut aphthas etiam inducat. Facilior jam eo latere decubitus, quo difficilius antea. Oculi priſtinam plenitudinem amittunt, et intra orbita deprimuntur. Capilli

nunc

nunc defluunt; per totum corpus pruritus et pustulae aquosae sequuntur, ungues curvantur, crura fiunt oedematosa, facies, ut dicitur, Hippocratica, et diarrhoea liquefaciens, miserrimi aerumnis finem ponit. Aliquando ante mortem delirat paululum aeger; plerumque vero mentis vires, etiam ad spiritum supremum, retinentur. Symptomata supra memorata diversis historiis temporis diversas partes percurrunt; plerumque aestate tolluntur, dum vere iterum revertunt, annorum duorum vel trium periodo, versus veris finem vel aestate incipiente, e medio hominem eripiunt*.

Aliquando vomicae, materia purulenta repletae, ejectae, morbo faustum eventum ponunt. Aliquando etiam, quamvis rarissime, urina purulenta, magna excreta copia, vel metastasi materiei morbosae ad extremitates, sub forma ulcerum, morbus feliciter judicatur†.

D E-

* Cullen's First Lines, par. 863.

† Greg. Lect. on the Pract. de Phthisi.

6 DE PHTHISI PULMONALI.

DEFINITIO.

Expectoratio pulmonibus puris, vel materiae purulentae, cum febre hectica *.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Labem haereditariam hujus morbi causam esse creberrimam, experientia docet. Haec vero non sanguinis et fluidorum acrimonia, sed forma peculiari, pectore angusto, scil. humeris elevatis, et collo praelongo, originem ducit.

Homines temperamento molli tenero praediti, corpore procero, et ex anno octodecimo ad tricesimum quintum vitam degentes, ante alios phthisi corripuntur. Hoc tempore sanguis majore quantitate ad pulmones mittitur, praesertim vero, si temperamento

* Cullen's First Lines, par. 715.

ramento gaudeant cholericofanguineo, mentis commotionibus fint obnoxii, aut exercitatione nimia utantur; his enim circulatio per pulmones multum augetur, venae cordi fanguinem tempore juſto haud reddunt; inde omnia mala ex rupturis, effuſione, et obſtructione timenda ſequantur.

Huic morbo praediſpoſiti vocem acutam ſtridulam, (ex anguſta thoracis forma forſan orientem), habere notantur.

Ante omnes vero cauſas, vel res praediſponentes, frequentiffima et potentiffima longe eminet labes ſcrophuloſa; hoc fortasſe opinioni, quod phthiſis ſit haereditaria, ortum dedit, et ita re vera exiſtit, quatenus cum ſcrophula, morbo ab omnibus ſcriptoribus quaſi haereditario ſpectato, neſcitur.

Morbus hiſce regionibus ſaepius quam in aliis (fortasſe propter illum inter foeminas thorace nexili utendi, et infantem tenebram veſtimentis arctis implicandi, morem) exitialem, ſe magna ex parte oſtendat; aetatis illo tempore oſſa ullae impreſſioni recipiendae ſunt magis apta; igitur, non tantum

8 DE PHTHISI PULMONALI.

tum thorax coarctatur, sed etiam pravitas, per vitam mansura, formatur.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Inter has primo de catarrho loquemur. Hic per longum tempus protractus phthisin, sanguinis fluentem in pulmones nimis determinando, inducere possit. De hoc vero dubitandi locus restat; saepius namque catarrhus nil nisi causae fixae symptoma evadit. Forſan, quod aliquando diuturne perdurans etiam ipsam phthisin induceret, tuto credamus, et in pluribus casibus, ubi tale accidisse putandum fuit, catarrhus pro causa excitante, sanguinis molem aequo grandiorum pulmonibus congerendo, et sic statum inflammationis excitando, et deinceps tuberculorum, antea latentium, suppurationem solum ageret; namque phthificorum dissec-tio, quorum corporibus tubercula plerumque inveniuntur, et eorum qui huic morbo praecipue sunt obnoxii, diatheseos scrophu-

lofae tam manifesta habebant indicia, ut opinione saltem probabilem redderent.

Morbum excitare possit asthma spasmodicum, et eodem modo ac catarrhus ageret.

Morbilli et alii pectoris morbi inflammatorii pueros aggressi, saepe phthisi, ut credimus, catarrho similes, originem praebent. Namque irritatione, quam pulmonibus suppeditant, suppuratio cito induci potest, vel saltem inflammatio tuberculorum, ea frigoris potestati, si modo intempestive periculo objiciatur aeger, magis sensibilia reddens.

Pulmonum vulnera pro phthiseos causa enumerari possunt, materia ab iis erumpente cohibita et absorpta.

Evacuationum suppressio, maribus haemorrhoidum, foeminis catameniorum, ulcerum, vel cutis eruptionum exsiccatio imprudens, plethoram et diathesin phlogisticam *gin* hoc, ~~et~~ modo praedispositionem (aliter per vitam innocuam manfuram), instigantes, inducerent.

†

B

Caloris

Caloris et frigoris vicissitudines multum ad morbum formandum afferunt; prior corpus calefacit, et, tunc, frigore admoto, vasa externa contrahuntur, et materia perspirabilis, corpore expellenda, in viscera, et praesertim in pulmones, rejicitur.

Diaetae culpa, veluti liquorum spirituorum abusus, multum ad morbum spectant.

Calculi, corporibus extraneis formati, pulmonibus reperti sunt; et Professor noster cl. Cullenus morbum inter eos, qui linum carpunt, vel molendo versantur, frequentissimum notavit; corpuscula aëre volitantia inspirant, quae pulmonibus recepta obstructions creant.

Haemoptysis viam ulcerationi pandit, et etiam ulceratione amota, quae his ut in aliis vulneribus eveniat, sanguis in pulmones effusus, non ex toto ejectus, in cellulis maneat, retentione putridus et acris vertatur, partes vicinas erodat, et sic ulcus malignius inducatur.

Inter alias hujus morbi causas, ulcus, inflammationis pneumonicae, &c. sequela, auctoribus

auſtoribus plerisque enumeratur. Multi hanc rejiciunt, et in perpauca exemplis evenire, et etiam in his diathesi scrophulosa causa latentem fuisse, asserere audent. Causae vero supra relatae nullam alicujus momenti objectionem, neque cur de obscuris conjecturas, una tam manifesta et conspicua, qualis suppuration ex inflammatione, vulneribus, &c. sese praebente, formemus, omnino cernimus. Sed objectiones ipsas figillatim spectemus. Primo, nullam rationem cur ulcera non tam cito in pulmonibus ac in aliis locis mederi, aut cur tam exitialem et malam induant naturam, reddi possunt, asserunt. Huic agitationem pulmonum assiduam, et aëris accessum, causas esse respondendum. Contra vero, ulcera in pulmonibus, pneumoniae sequelae, facilia ad sanandum saepe inventa fuisse, et secundo vulnera canibus inflicta, nulla cura ad aërem externum depellendum adhibita, cito conglutinari arguunt. Hisce affirmantibus pulmonum ulcera, ex inflammatione, vulneribus, &c. orientia, hoc vel illo casu

casu sanata fuisse, nequaquam exempla pauca nobis regulam generalem depromendi potestatem concedere respondemus; quia vulnus in quibusdam, sub rebus secundis inflictum, cito ad sanitatem redeat. Ita in omnibus vero, ut aeque eveniat concludere, fallacia est evidens. Quoad alterum argumentum, est notandum, quod, etiamsi in canibus, &c. ulcera aëri exposita sanescant, hominibus non ita accideret. Diversi enim homines magnopere constitutione discrepant; diversae igitur animalium species gradu multo majore. Ulla vero ex analogia ratiocinatione posthabita, quotidie humana specie exempla, ulcera aëri exposita perraro tam cito, ac ea, sub rebus diversis, mederi probantia, cernimus.

Naturae in pulmonibus ulcerum infanabilis causa etiam alia reddi potest. Materia initio blandissima et optime confecta, non vero liberam subeuns evacuationem, acrimoniae et malignitatis gradum sibi magnum comparet. Postremo, inflammationis pneumonicae, in phthisin abeuntis, quae

quae vidimus exempla, ad concludendum sufficiunt, ulcerationem ex inflammatione, vulneribus, pneumonia, &c. inducta, diathesi scrophulosa exclusa, hunc morbum inducere posse.

Frequentissima causa hujus morbi scrophula existit; in phthisi namque corporibus defunctis cultro anatomico pulmonum tubercula invenimus, tuberculis scrophulis magnopere similia; et praeterea aegros phthificos plerumque glandulis scrophulis laborare, observatu est dignum.

Ex historiis diversis auctoribus enarratis, morbum aliquando esse contagiosum, concludere induceremur. Huic opinioni cedit Hoffmannus*, qui etiam alios hominibus ingeniosis memoratos casus citat. Hanc vero sententiam indagare, hujus opusculi limites transiret. Causas, ut nobis videtur, praecipuas remotas sic tradidimus, quae ratione pulmonum debilitatis, labis haereditariae, et aliorum viribus, nituntur.

CAUSA

* Vid. de Affect. Phthif. tom. 3.

C A U S A P R O X I M A.

Causis praedisponentibus et occasionalibus supra narratis, nunc de causa proxima, qua magna ex parte fluit morbi medela, dicturi accedimus. Inter omnes, medicina versatos, causam proximam, praedisponentium et occasionalium coitu, formari conceditur. His igitur jamjam perpensis, opinionem proferre nostram magis fidenter possumus. Aliis igitur ab auctoribus diversis propositis, causis proximis posthabitis, unam tantum, quae nobis veritati magis consentanea videtur, ponemus. Causae praedisponentes plethoram systemate generant, et sanguinem pulmones versus praecipue mittunt. Causae occasionales has agere cogunt. Sanguis nunc nimis larga quantitate per pulmones propellitur, et per venas ad cor (ut antea diximus) satis cito non devehitur; exinde congestiones formantur, quae tubercula inducunt. Sed, quoniam casibus plerisque diathesi scrophulosa haec originem

originem debent, congestionibus facilius ulcerantur. Cum auctoribus quibusdam tuberculis causam ascribere proximam nolimus. Phthisin namque et suppurationem absque illis existere invenimus; et praeterea, ante phthiseos productionem, in vomicas, vel ulcus apertum, ea verti necesse est; igitur has vomicas vel ulcera pro causa huius morbi proxima recipere animus jubet.

D I A G N O S I S.

Phthisin a catarrho noscere per saepe magna stipatur difficultate; pauci namque morbi, initio saltem, tam multum se invicem referunt. Verum tamen diagnoseos signa verisimillima monstrare, et aliquibus ab auctoribus propositis objicere, conemur. A catarrho phthisin, causis et praedispositioni diligenter incumbendo, optime fecerimus. Haemoptysis, pulmonum inflammatio, &c. plerumque phthisin antecedunt, et iis male formatis et labe scrophulosa praeditis,

praeditis, saepissime occurrit. Tussi sicca, astricta, sine frigore evidenter admoto oriente, et febre vacua, inchoat phthisis. Contra, catarrhus acutus defluxione plerumque incipit, febris cum gradu aliquo; et regimine antiphlogistico multum levatur. Diagnofis morbum hunc inter et catarrhum chronicum majore multo premitur difficultate. Tuffis vero ficca, astricta existens, dolor prope pectus et sternum fixus (catarrhus namque aevi est perbrevis) tubercula suspecta habeamus; et sententiae nostrae, dolentibus internis, firmiter haereamus. Num muscoli vel pulmones ipsi hos dolores patiuntur, satis probabiliter dijudicemus. Namque (observante Culleno *)

“ quando muscoli laborant, latere morbidum decubitus est facilis, eorum actione minuta. Dolor etiam externe premendo augetur. Tuberculis formatis, dolor, quando aegrotus in latus affectum recumbit, fit acutior.”

Tuffis, emaciatio, debilitas, pulsus frequens, celer,

* Clin. Lect.

eler, lateris dolor, labes haereditaria, vel corpus male formatum, sese quando comites praebent, tubercula ad phthisin fatalem fes-
inantia merito timeamus.

Ab excreationis statu, diagnosis etiam est formanda; multis vero casibus, antequam ex hoc iudicium deducere possumus, phthisis per longum duravit: Igitur rebus supra memoratis incumbere necesse est. Quoad purum purulentum, quo morbus existere satis evincitur, auctores ex muco distinguendi varios suppeditant modos. Horum praecipuos notabo. Mucum aqua levio-
rem esse, et exinde super ejus summitatem natare dicitur. Hujus vero fallacia clare patet; namque mucum urethrae, ventriculi, et etiam pulmonum, aëre vacuum, in aqua fun-
tum petere invenitur. Praeterea, pus in pulmonibus quantitatem aëris acciperet, ita ut aequè ac mucus fluctuaret, et saepe am-
bo inter se intime misceantur.

Alia etiam signa sunt proposita. Pus quam mucus multo viscidius vocatur. Hic ex illo, multis vero casibus, parum discrepat,

etiam quod pus coloris sit viridis dicitur ; hunc in catarrho communi observare licet. Quoad sputi saporem, multum ex aegroti gustus statu morbido pendet.

Lux huic rei magna, ab experimentis Domino Darwin institutis, affulsit, et multum ejus ingenuitati et diligentiae debemus : Omnes hic repetere circumstantias nimium temporis tereret ; fusissime de hac re, in Thesi sua, disceptatur Dr Nankivell. Quod si sputum caustico lixivio aut acido vitriolico jungatur, et aqua tunc infundatur, pus cito fundum petit, et mistura turbida evadit ; mucus vero supernatat, et nihil ad imum vasis deponit, liquore puro existente. Experimenta postea Doctore Duncan, et aliis, fausto cum eventu iterata fuerunt.

Febris vero hectica, genarum post cibum rubore, sudoribus nocturnis et emaciatione corporis, indicata, phthisin jam formatam esse, ultra dubium ponit.

In phthisi, aliquod auxilium lingua et oculorum species praebent. Prior hoc morbo

morbo miro modo est munda, et oculorum tunica conjunctiva coloris est cyaneo-albi; nullis vasis rubris sese, ut in sanitate, offerentibus. Morbum sed optime distinguimus omnibus rebus mutuo collatis, quam separatim habitis.

RATIO SYMPTOMATUM.

Paucas tantum observationes de symptomatibus, quae naturae sunt generalis et majoris momenti, in mediam hic proferre volumus. Loco vero priori rationem, cur morbus plerumque inter annum decimum sextum et tricesimum sextum accidit, reddamus. Hoc tempore natura, corpus jam oppugnare fluidorum vim satis validum, nutrimento supplere nimium provisa, plethoram per totam systema inducit; et quum experientia, diversis vitae annis, sanguinis diversas esse determinationes invenimus, ita hic evenit; etenim nunc sanguis erga pulmones magna copia mittitur; statu

statu infantili et juvenili ad caput fluit ; hinc pueri convulsionibus et aliis nervosis morbis, et epistaxi, sunt obnoxii ; senectute in visceribus abdominalibus praecipue abundat. Ex hoc igitur, cur nunc temporis pulmones congestionibus et haemoptysi laborent, causa est manifesta.

Tussis ex rebus pulmones irritantibus, naturam has expellere instigantibus, originem ducit.

Oppressio et respiratio difficilis, calculos, tubercula, &c. pulmones implentia, et eorum actionem liberam impedientia, pro causis habent. Haec spirandi difficultas augeat vel inducat (si non adhuc adest) humerorum elationem ; namque hocce statu aegroti thoracem et scapulas tam frequenter attollunt, ut pravam formam partes accipiant.

Febrem hecticam gignit materia purulenta, quae in pulmones effusa absorptione systema intrat, et cordi adhibita, id frequentius contrahere, et pulsum celerem formare, cogit.

Lateris dolor ex pulmonum ulceribus proveniat, et versus morbi stadium ultimum ingravescit, “ propterea quod tunc pulmonis lobus, priore parte morbidus, forsitan ex toto consumptus, haud omnino geret; in principio vero satis valide officio fungatur, et aegroto in latus affectum recumbente, lobo altero et thoracis partibus remeretur*.”

Sudores liquifacientes faciunt febris hec-
tae augmentationes; cutis status relaxa-
tus et lecto cubitus aliquod conferant.
Materia absorpta fluida tenuia reddit, et
igitur corporis tabem gignit, expectoratio
copiosa et adipis ex tela cellulari absorp-
tio symbolam conferunt. Quod prior age-
ret manifeste ex observatione Cl. Culleni
apparet, “ Quod solidorum cohaesio sit di-
minuta, et lingua phthysicorum semper
humida et rubra, mucus pectore eliminatus
sedimento est expers, et saepe tam acridus,
et aphthis originem det, invenitur.” Ex
pul-

* Cullen. Praelect. Clin.

pulmonum statu morbido etiam penderet, quo sanguificatio manca perficitur, quum perquam est probabile, hoc viscus ad sanguinem proprie formandum multum facere.

Diarrhoea magnam puris copiam absorptam pro causa agnoscit, quae in systema sanguiferum recepta intestina aggreditur, aut fortasse ex fluidis nimis tenuibus factis oriri possit.

Sputum purulentum originem ex pulmonum suppuratione suam trahit.

P R O G N O S I S.

Tametsi hic morbus plerumque sit exitialis, haud tamen omnino semper desperandum; et utrum eventus felix necne evadat, hisce symptomatis conjicere licet; nempe, ubi vires haud multum sunt fractae, respiratio haud laborat, digestio facilis, expectoratio libera nec foetida, et praecipue si febris hectica haud indies ingravescit; tunc
salus

alus aegri probabilis efflet; et hoc solum
 raedicare possumus. Minus in ancipiti-
 es sunt, si thorax haud aequo angustior,
 nec signa labis haereditariae aut scrophulo-
 se adfunt; nam observare saepe licet, ubi
 pulmones fuere ulcerati, corpore reliquo
 sano existente, et ubi macies haud fuit no-
 tabilis, aegrum per multos annos supersti-
 tem vixisse, immo etiam sanum evasisse *.
 Sed, e contra, si febris hectica ingravescat,
 pulsu, auroram versus, quoad frequentiam
 acta, si corpus multum tabescat, expecto-
 ratio haud sit libera, ac quoad caetera ma-
 le indolis et foetida; si res sic se habent,
 expiratione simul permultum laesa, do-
 re lateris affecti saevo simul comitante,
 ut ex toto ac subito cessante, cum spiritu
 petido, raucedine, sudoris magna proflu-
 entis copia, pedum oedemate, crinium
 ecidentia, ac denique diarrhoea liquante,
 ex his colligere licet, exitium futurum brevi
 manifestum.

Ali-

Vid. Hoff. de affect. phthif. tom. 3. observ. 1.

Aliquando * etiam, ex causis morbum excitantibus, judicium formari possit, ut, si haemoptysi praecedente ortus fuit morbus, meliora sunt expectanda, quam si ex tuberculis oriatur; nam, si ulcera essent formata, propter repetitas haemoptoës; tamen, ut ante dictum fuit, exitus esset fortunatus; nam, pure benigno existente, et libere foras ejecto, febris hectica non tam alte assurgit, ut evenit inflammationibus pulmonicis in suppurationem abeuntibus. Sed, si materies per longum esset intus retenta, et febris hectica gravis fiat, tunc phthisis tam dira, quam alia quaecunque, facta erit.

Sed omnium illa ex labe haereditaria et tuberculis orta periculosissima est.

METHODUS MEDENDI.

Ad hunc attingendum scopum, sequentes instituere indicationes volo.

I.

* Cullen's First Lines.

I. Circuitum sanguinis ita mutare, ut minor esset in pulmones, majorque ad superficiem, impetus; hoc efficitur regimine, venesectione, purgantibus emeticis, vesicatoriis, ac fonticulis; sed de singulis postea.

II. Amovere causas excitantes.

III. Symptomata lenire. Primo, de

Regimine *, quod maximi in hoc affectu est momenti, praesertim sub morbi initium, quo tempore aër ruris petendus, multumque exercitii capefcendus; nam ex hoc fonte multa magnaue commoda profluere possunt. Hujus diversa genera laudata, sunt, e. g. equitatio, vectio rhedalis, vel navigationis; prima phthisi incipienti aptior est, secunda, morbo progrediente, ob debilitatem, res nimium frangit, ac interdum etiam dolorem aegri auget; si quando permit- tenda, debet esse matutina, aëreque sub se- no, diuque utenda. Si convenit, iter sus- cipiendum est, utpote, propter obsectorum

†

D

va-

* Nihil vero est quod corpus a vera phthisi im- mane reddere, vel incipienti magis possit occurrere, quam recta vivendi ratio. HOFFM. tom. 3. p. 193.

varietatem, animum aegrotum bene mulcens ; sed frigus atque humiditas sunt evitanda angue pejus ac cane.

Navigatio omnibus aliis praeſtat, quotidianaque experientia laudes ejus clare demonſtrat. Primo naufeam creat, etiam ad vomitum plerumque, hoc modo ventriculum, primasque vias, evacuat ; ad ſuperficiem etiam determinatio fit, ac continuatur. Ob navis motum, muſculi ut ſerventur aequilibrium agunt, quod aeque circuitum venis ac arteriis auget. Mentis agitatio frequens, ut timor, ſpes, gaudium, &c. aliquod forſan praeſtant. Verofiſimile eſt, aërem itidem marinum momenti eſſe cujuſdam ; nec opinor aliquem eſſe caſum cui non convenit. Exempla quibus utilis evaſit tam multa, tamque ſunt nota, ut ea memorare a re eſſet alienum ac inutile. Multos caſus videre licet libro perquam erudito a Doct. Gilchriſt conſcripto.

Nunc de diaeta aliquid dicendum, quae vegetabili ac lactea conſtare debet ; illa ex farinaceis melius conflatur ; hoc genus ſunt hor-

ordeum, oryza, falep, etiam radices, ac
 ructus horaei *; sed, si flatum generant,
 ut alvum nimis liquant, melius omit-
 untur: Haec multum meritoque medi-
 s, tam antiquis quam hodiernis, lauda-
 ir. Ea fuit Aretaei fiducia in ejus vir-
 te, ^{ut} ~~ut~~ afferere haud dubitarit, nullo alio
 remedio opus esse phthificis praeter lac.
 t haec sunt Tralliani verba: “ Novi
 uendam qui cum toto anno lac bibisset et
 comedisset, et ab vino ^a ~~ab~~stinuisset, ab hae-
 moptysi et puris sputo liberatus fuit, ut
 nec postea in phthisin inciderat.” Hos
 nitare haud dedignati sunt hodierni; et
 Hoffmannus clar. diaetam ex lacte con-
 ctam multis cumulat laudibus †. Cuique
 generi lactis suus fautor. Asininum valde
 ile est, quantitate satis larga assumptum;
 minus

* Hoffman. casum narrat phthiseos fragis solis
 uratae.

† Nec rectius nec melius datur praesidium, quam
 ctis cura decenter usurpata, qua ego perplures
 hthificos, in cymba Charontis quasi haerentes, sa-
 atos, pristinaeque reditos valetudini novi. HOFFM.
 om. 3. p. 289.

minus coagulabilis habet materiei, alvum fervat laxam, et urinam promovet. Caprinum magis constat; bovinum majorem praebet feri copiam, et plerisque convenit; sed humanum optimum est; quasi leve ventriculo insidens, Hoffmanno aliisque laudatur *. Sed sunt quibus haud ulla lactis species conveniet; hisce in casibus optime aqua diluitur, vel pauxillo addito saccharo vel spirituofo liquore melius propinatur. Plerisque lac ebutyratum gratum est. Sed tamen haud cibus animalis nimis subito his ei assuetis abstrahendus; sed caro tenera et levis iis permittenda; hujusmodi sunt pulli, vel jusculum ex illis paratum &c. Pisces quidam, praesertim testacaei etiam commodi sunt. Cavendum tamen ae-

gro

* Humanum lac ad usum medicinum prae aliis videtur praestantissimum; HOFFM tom. 3. p. 289.

Certe divini quid tam in humano quam asinino lacte latet, quod antehac nunquam credidissem nisi id sensibus comperissem. Vidi his meis oculis, quasi novos homines inde factos fuisse; nam legitimo ejus usu, habitum firmiorem, colorem nitidiorem, et vires robustiores, plurimi acquisiverunt. WEPFEROS in Epist. ad Verzascham. Vid. HOFF.

gro est, ne ventriculus ejus nimis assumpto opprimeretur. Aromata item, ac liquores spirituosus vel fermentati, sunt caute evitandi, nisi ubi mos postulat, et tunc etiam parca manu sibi indulgeat. Salem marinum, utpote corpus totum, et praecipue pulmones, irritantem, quam maxime evitet. Ab ira atque mentis commotionibus aliis se vacuum servare oportet, et oblectamenta animo, quasi lenimen dolorum, quaerat laborans.

Aëre sicco ac temperato nihil phthisi laborantibus magis confert; quia favet perspirationi, ac serophulosis (cujus maxime temperamenti sunt phthifici) multum juvat; et hoc patet ex eo, quod, appropinquante aestate, morbus multum remittit. Jovem igitur petat serenum, qualis est ille partis Galliae meridiem spectantis, vel Italiae, ubi nec nebulae pluviales, nec aquilo impotens, infestant. Hisce in plagis aeger degens, haud coelum experietur mutabile, sed auram captabit amicam. Sic de regimine paucis prolatis, observare licet, plura ab eo
rite

rite celebrato commoda esse expectanda, quam ab aliis quibuscumque remediis.

Venaesectione—si haemoptoe, qua saepissime morbus hic comitatur, adhuc persistat, et signa diatheseos phlogisticae adsunt, tunc hoc remedio uti liceat; nam eo actio cordis et arteriarum, quantitate sanguinis in praesens imminuta, moderatur, et hoc modo vasa rupta sese contrahere possunt. Sed, quoniam, vena nimis frequenter secta, plethorae adauctae timor, alia sunt utenda remedia, postquam, semel bisve celebrata venaesectione, haemoptoe pene cessarit, potius quam medicamen repetere, quod forsitan periculosum evaderet. Cl. Pringle ac Monro tamen hoc medendi genus commendant; sed notandum est, quod his agendum erat cum robustis, et juvenili aetate florentibus, ex quibus detrahere sanguinem multo liberius, quam ex aliis, licet. Si quando hoc remedio uti datur, melius est satis largam emittere copiam uno et eodem tempore, quam partitis vicibus; quia hac methodo plethoram inducendi magis periculum,

periculum. Eam celebrare iterum haud nimis cito oportet; quia, ut ill. Gregory observare solitus erat, quod nequaquam, post ejus administrationem, statim levamen percepit aegrotus, sed forsan secunda vel tertia nocte post. Postremo, notandum est, ab venaesectione abstinendum esse in iis multum debilitatis, et morbo versus finem existente.

Cathartici. Haec sunt commoda sub morbi initium, ad tollendam plethoram, et sanguinis impetum a pulmonibus alio divertere. Quaedam ex salinis sunt quae vim habent pulmones quibusdam irritandi, e. g. sunt quibus nitrum, in aliquo modo assumptum, hoc viscus magnopere afficit; his igitur in casibus eo uti nec licet, nec oportet, et laxantia, ut ol. ricini, fenna, manna, sunt, in usum revocanda, ut etiam magnesia, quae aciditati, hoc morbo aliquando occurrenti, bene medetur. Ultimo morbi stadio, cathartica raro sunt utenda, propter vires aegri nunc nimis fractas diarrhoea vel sudoribus liquantibus.

Emeticis

Emeticis. Haec videantur noxia naturam symptomatum reputantibus; sed diurna et fausta experientia contrarium probat; nam etsi plenis data dosibus incommoda evaderent; tamen eâ quae nauseam, haud vomitum, induceret adhibita, multa et praecleara auxilia ex iis devenient, etsi haemoptoe adsit, ad superficiem derivando, et etiam expectorantium officio funguntur; huic optime inservit proposito tart. emet.

Vesicatoriis. Haec etiam initio mali huius saevissimi sunt utenda, ex systemate exhaustiunt, plethoramque minuunt; dyspnoeam item gravem sublevant, viribus suis antispasmodicis ac evacuantibus. Sed remedia magis utilia, utpote aequabiliter ac diu humores haurientia, sunt.

Fonticuli, qui feliciter plethorae occurrunt, et sic phlogisticae praecavent diathesi tuto continuantur, nisi aegrotus multum firmacie confectus, vel morbo est lento fractus. Horum favet administrationi observatio haecce, nempe hos scrophulosis affectos ulceribus, ex quibus copia humoris lar-

ga indies profluebat, raro phthisi esse aggressos; nam sic fluida aliquo modo ex partibus internis avertitur. Notatum praeterea fuit, minantis phthificis indicia glandula externe suppurata penitus disparuisse*; igitur, incipiente phthisi, naturam sequentes ducem, fonticulum vel fetaceum inferere affecto latere enixe commendaremus; et hisce praesertim casibus, ubi, ex obstructis vel suppressis evacuationibus solitis, morbus fuit ortus.

Ad secundam nunc ventum est indicationem, nempe, causas amovere excitantes, si adsunt; sed singulatim hic loci omnes affectus, qui phthisin producere possint, haud in animo est recensere; solum observare, quod nil efficiet medicina nostra, nisi sint sublatae.

Tertia indicatio restat, nempe, symptomatis obviam ire, vel ea mitiora reddere; horum molestissima est tussis, et quae multum morbi saevitiam adauget, haec (ut su-

† E pra

* Gilchrist on Sea Voyages.

pra notavimus) ex irritatione oritur, ac pulmonum nisu, materiam peccantem ejicere, propterea magis rationi congruum esset naturam huic scopo collimantem adjuvare emeticis, quae optime expectorationem promonent, et postea partes superiores defendere, ne acrimonia rei expectorandae eas irritando tussim provocaret. Hoc afficitur misturis mucilaginosi, ut sem. lini. rad. alth. gum. Arab, et hoc genus. Venaesectio etiam hoc in casu utilis aliquando invenitur, dyspnoeam tollendo; et, ut saepe accidit, expectorationem reddit faciliorem. Sed ad leniendam aegram ac difficilem tussim, nil valentius, nil opio praestantius. Tamen cautela opus est; nam initio morbi inflammatoriam diathesin augere possit, et, si nimis saepe, vel largiter propinatum, vires aegri deiecit, appetitum minuit, alvumque nimis astringit; sed modice assumptum, multum leniminis aegroto affert. Praesertim utilis invenitur, ubi materies excreta cruda atque acris evadet, tussim, dolorem, et raucedinem, tracheam afficiendo, creat; hic perutil

est minuendo secretionem hancce, et efficiendo, ne nimis cito eliminetur, sed intus aliquando morando fit blandior et mitior. Sed, si materies esset magis viscida, ab opio resistendum; quia dyspnoeam, et difficilio-rem efficeret expectorationem. Forma sub qua adhiberi potest, est laud. liquid. Pectoralia multum auctoribus laudantur; sed, si illis utimur, parca administrari manu de-
 bent, quoniam nimis ventriculi vires minu-
 unt, diarrhoeamque aliquando inducunt. Tussilago multum adversus scrophulam lau-
 atur*, et quandoque feliciter fuit admini-
 strata; cum igitur suspicio oritur, morbum
 ab scrophula esse genitum, saltem ut peri-
 culum ejus faciamus convenit. Ad amo-
 endam faucium siccitatem et expectora-
 tionem promovendam, vapor aquae tepidae
 inhauriatur.

Si haemoptoe supervenerit, et adhuc per-
 iterit, eam curare licet subastringentibus, ut
 acido

* Cullen's Materia Medica,

acido limonum, conf. rofar. et regimine antiphlogistico.

Febris hectica innotescit ex pulsus frequentia, rubore genas suffundente, exacerbatione ejus certis temporibus, praecipue post cibum assumptum, et denique corporis macie: Absorptioni puris, cor atque arterias irritanti, optime praecavetur diaeta lactea; et si nulla vel saltem mediocria apparent symptomata inflammatoria, forsan cortex utilis esset, vires aegroti reficiendo, ac ulcera in melius mutando. Sed, quoniam saepe respirationem afficit, haud adhibendus, donec inflammatoria signa fuerint levia, et tubercula in ulcera fuissent mutata.

Sitis et calor, febris hujus indicia, acidis atque fructibus horaeis mitiganda sunt.

Ad puris sputa amovenda, vel potius ad ulcera curanda, remedia balsamica dicta quibusdam commendata sunt, ut in ulceribus externis. Sed haud conceptu facile est, quomodo, parva adhibita dosi, ac massae circumeunti admista et diffusa, per ea pulmones afficere posse, eodem modo ac exter-

e vel directae ulceribus admota. Et prae-
rea experientia docet, ea vi sua qua gau-
ent stimulante noxia esse; et idcirco raro
unc usurpantur; nuperrime equidem gum-
i myrrha commendatur; sed periculi ad-
uc de ea facienda restant. Dr Duncan
emorat, praelect. pract. semel bisve felici-
r eam adhibere. Sed tamen aliis in casi-
is parvum aut nil effecisse; ad summum
gitur hoc medicamentum praescribere, re-
is desperatis, melius certe est quam aegrum
io tradere fato.

Anne chalybeata aliquando in auxilium
ocari possunt?

Aquae minerales, etsi laudibus Hoffman-
i offeruntur, praesertim lacte commistae,
amen haud videntur multum promittere;
t tutius opinamur ab iis desistitur, saltem
iathesi valente inflammatoria.

Ad sudores liquantes cohibendum elix.
it. cortex, ac lecto abstinentia valent; aegri
tiam indusia sunt saepe mutanda, ne iterum
a sanguinem recipiatur materies morbida
am foras ejecta.

Diarrhoea

Diarrhoea saepissime, versus morbi finem, tam magna profluit, ut etiam aegrotum e vita tollat; propterea juscula nutrientia propinari debent; et ad compescendum hunc fluxum immodicum, astringentia, ut acida, ter. Japon. maxime conferunt; sed omnium huic scopo aptorum nil opio praestat.

Finita nunc dissertatione, tantum restat ut Professoribus, propter eorum praecepta utilissima, grates persolvam. Praecipue etiam Carolo Leslie, Armigero, apud Corcagienses medicinam et artem chirurgicam summa cum laude exercenti, obstringor; quo per quinquennium multa beneficia accepi, et cujus praxi et documentis magnum in chirurgia fructum, semper animo grato reminiscendum, hausisse lubenter agnosco.

F I N I S.



